



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 184. Erasmi ortus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1466

Regii connubii gloria illustrem reddiderat, Varvicensem Domum meretricii infamia obscurare tentabat. Indignis adeo modis fracta Comitis patientia eundem, quem suis manibus evexit, e folio deturbare, ac Henricum carcere liberatum Regno restituere statuit. Hanc in rem præprimis nulli pepercit labori, ut connubium Comitis Carolesii cum Margarita Eboracensi, quæ Eduardi soror erat, impediret; urgebat enim Carolesium Pater ejus, ut tertiam sibi uxorem duceret, eoquod ex duabus conjugibus nonnisi unica ei superstes esset filia. Igitur Comes Eduardo, in cujus perniciem juraverat, omnem spem, quam ex ejusmodi nuptiis amplissimam conceperat, succidere aggreditur, sed demum, fortuna consiliis suis nequaquam adspirante, aliis mediis, quod mente concepit, exequi molitur. Quare ad factionis suæ vexilla vocat utrumque fratrem suum Montis-acuti Marchionem, & Archiepiscopum Eboracensem; quibus etiam accessit Clarentiæ Dux Eduardi Regis frater.

Montaigne.

§. CLXXXIV.

Erasmi Ortus.

Percipiamus Erasmi natalia. Petrus quidam Gerardus, Gaudæ five Gondæ oriundus frequentius invisebat quandam Virgi-

Virginem Elisabetham, vel juxta alios Sæcul. XV.
 Margaritam nomine, quæ erat filia cujus- A.C. 1466.
 dam Medici ex Sevenbergana Brabantiæ
 urbe, quæ triginta leucis Breda distabat.
 Cum igitur hæc familiaritas in utroque
 amoris stimulos acueret, brevi ambo illi-
 citis indulserunt amplexibus, ac tandem
 ex turpi hoc commercio Roterodami
 celebris ille Erasmus (*) die vigesima
 octava Octobris hoc anno in lucem pro- Dupin. Bibl.
 diit, quamvis alii Scriptores ejus ortum Script. Ec-
 ad eandem diem anni sequentis rejiciant. cles. Sæcul.
XVI.

Is

(*) *Nec adeo de Republica literaria Catholica bene meritus audit Erasmus, ut vel inter Scriptores Ecclesiasticos, aut in Historia Ecclesiæ locum sibi vendicet, minus vero ut sacrilegæ suæ originis memoriam fieri deceret. De illius doctrina commune ubique erat judicium: Erasmus invenit. Lutherus irruit. Erasmus parit ova, Lutherus excludit. Erasmus dubitat, Lutherus asseverat &c. Quæ ex ejus libris expungenda sint, vide apud Possevinum, Verbo. Desiderius. Consule etiam Bellarminum in præfatione ad secundam controversiam. Ast Erasmus summis laudibus a Continuatore fuisse commendatum, videbimus in Libro CXXX. §. XCII. necnon in Libro CXXXI. §. LXXVII. Et sequenti; quo tamen intempestivo encomio famæ suæ parum consuluit.*

Q 2

Sæcul. XV
A.C. 1466.

Is vulgo dicebatur Gerardus Gerardi Filius pro usitato in Hollandia nominandi more; eo tamen nomine tractu temporis commutato *Desiderius* vocari voluit, eoquod juxta patrium idioma, nomen *Gerard* quamdam præferat affinitatem ad latinum verbum, *desiderare*. Præterea sibi cognomentum adjecit *Erasmi*, a nomine græco mutuatum, quod ejusdem ferme significationis est. Usque ad nonum ætatis suæ annum in Ecclesia Cathedrali Ultrajectensi inter pueros sacro cantui addictos clericum agebat, demum Daventriam missus, Moderatore Alexandro Hega studiorum curriculum emensus est. Tanta memoriæ felicitate excelluisse dicitur, ut Terentii comœdias, & omnia Horatii opera, quæ intra exiguum admodum tempus memoriæ mandaverat, iisdem plane verbis recitaret. Decimo quarto ætatis suæ anno utroque Parente orbatus, habitum Canonicorum Regularium S. Augustini in Monasterio Stein prope Gaudam induere compulsus est, septemdecim annos natus, ibidemque Anno Salutis millesimo quadringentesimo octogesimo sexto solemnibus votis se obstrinxit.

HISTO-